

ger de caus. Ling. Lat. lib. i. c. 25.) dialectus Æolica ου non agnoscit pro consonante, sed abjecto u tenet o, atque v. gr. pro λύκους legit λύκϙ, ut ita abjecta etiam terminatione Græcâ μαι, integrum Volo evadat. Coeterum quod in notatione nominis non sicco prorsus prætereundum pede est, elegantissimis Linguæ S. voluntas venit nominibus. Dicitur enim מַחֲנֵה quod unà cum ἐμφατικώτατῳ illo ἔν pater ex eadem radice מַחֲנֵה desideravit, acquievit &c. progerminavit, idque fortean propterea, quia Voluntas dum semper in ea fertur, quæ bona videntur, salutem hominis, haud secus ac benevolus pater dilectæ suæ sobolis prosperitatem, desiderat, atque in illa acquisitum demum placidè acquiescit. Dicitur etiam alio nomine אֲמַחֵה ab oblectando & complacendo; item אֲמַחֵה à perficiendo & absolvendo, quia quæ ipsi arrident non prius desinit appetere, quàm cum perfecta sunt & numeris absoluta omnibus. Sed hæc de Originatione, nunc de diversâ significatione.

§. 3. Significatur autem Voluntatis nomine (1.) in latisimâ significatione appetitus animantium quicumque tam rationalis, quam sensitivus, & hoc sensu ipsis quoque brutis Voluntas adsignatur, v. g. quando de cane dicitur, quòd velit edere, bibere, &c. sed hæc sententia plebejam inadvertentiam, non ἀκρίβεια sapit philosophicam. Notum enim in foro philosophico est, quod bruta Voluntate destituta in quodcumque ferantur, ad id naturali instinctu atque appetitu sensitivo stimulentur. (2.) Voluntatis nomine non rarò venit ipsum Objectum, sive ut Amandus de Bello Vifu lib. 2. c. 145. de explic. Term. vocat, res volita. Hanc acceptionem modò laudatus Autor ostendit in seqq. *Quando dicitur Voluntas Regis est, ut latro suspendatur, Voluntas non accipitur pro potentia volendi, nec pro actu voluntatis*

tatis